

## Aldobrandino dei Cavalcanti OP

De sancta Elisabeth<sup>1</sup>

*Mulierem fortem quis inveniet procul et de ultimis finibus precium eius*, Prov. XXXI. (10).

Inter sapientes antiquitus ventilata est questio de fortitudine, quid inter ista mutabilia, que subiacent sensui humano, forcius inveniretur. Ad quod diversimode fuit responsum; Esdre III. (III Esr. 3, 10-12): *nam unus dixit: "forte est vinum"; alter dixit: "forcior est rex"; tercius dixit "forciores sunt mulieres"*, et quilibet verum dixit diversis respectibus.<sup>2</sup> Nam inter ea, que sunt necessaria usui humane nature, vinum forcius est ad inmutandum statum capitis; propter hoc dicitur, Prov. XXIII. (31): *ne intuearis vinum quando flavescit* etc. Inter ea, que sunt necessaria ad regimen humane nature forcior est rex ad inmutandum statum gentis, Prov. XIX. (12): *ut fremitus leonis sic et ira regis*; Prov. XX. (8): *rex qui sedet in solio suo, intuitu suo dissipat omne malum*. Inter ea vero, que sunt ad mscipulam et decepcionem, forciores sunt mulieres ad inmutandum statum mentis, Ecc. VII. (27): {256va} *inveni amariorem morte mulierem, que laqueus venatorum est, et sagena cor eius* etc. Rex autem noster Christus, in verbo proposito, querit de fortitudine interiori et spirituali: *mulierem*, ait, *fortem* etc.; et duo facit hec:

<1> primo querit sponsam sibi convenientem, ibi *mulierem fortem*;

<2> secundo promittit et adsignat ei dotem indeficientem, ibi *procul et de ultimis finibus precium eius*

Primum invenire est difficile, et ideo dicit *quis inveniet*; secundum possidere inextimabile est, quia dicit Augustinus: *haberi potest sed extimari non potest*.<sup>3</sup>

<1> Circa primum nota, quod mulier hec fortis fuit beata Helysabeth, cuius fortitudo in hac epistula ostenditur in tribus:

<1.1> primo in aggrediendo ardua

<1.2> secundo in sustinendo adversa

<1.3> tercio in congregando spiritualia bona

---

<sup>1</sup> Base ms.: RM = Roma, Biblioteca Casanatense, ms. 1472, ff. 256rb-257ra. Collated mss.: BO = Bologna, Biblioteca Universitaria, ms. 1769, f. 215ra-vb; KO = Köln, Stadtarchiv, ms. GBf. 179, ff. 196vb-197rb; MU = München, Clm 9617, pp. 180b-182a.

<sup>2</sup> Cf. THOMAS AQUINAS, *Quaestiones quodlibetales*, XII, q. 14, a. 1.

<sup>3</sup> EUSEBIUS 'GALLICANUS', *Collectio homiliarum*, 47, 6, ed. F. GLORIE (CCSL, 101, 101A, 101B).

<1.1> Aggressa est triplex arduum, scilicet

<1.1.1> castitatis, quia cum remansisset vidua, renunciavit carnalia connubia, ad que tria inducebant eam, scilicet: impulsio ab amicis; dispositio corporis, quia erat pulchra et iuuenis; et nobilitas generis. Sciebat enim illud, Ecc. XXVI (20): *non est digna ponderacio continentis anime*, et hoc nota ibi (Prov. 31, 17): *accinxit fortitudine lumbos suos*, et nota, quod dicitur *accinxit*; Luc. XII. (35) dicitur: *sint {256vb} lumbi vestri precincti*; Eph. V. (6, 14) dicitur: *state succinti lumbos*. Accingi est pugnancium, precingi ministrancium, sed subcingi est ambulancium. Innuitur, ergo, quod per castitatem contra hostes pugnamus, Deo ministramus, et ad patriam tendimus, Heb. XII. (14): *pacem sequimini et sanctimoniam*.

<1.1.2> Secundum arduum est arduum laboris, quia assumpsit facere opera sancta, unde sequitur (Prov. 31, 19): *manum suam misit ad forciam* etc. Tripliciter ponit, qui *manum ad forciam*, scilicet quando magna, multa et continua opera facit, Ecc. XLVIII. (15): *in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est*. Ibi notantur illa tria, *in hiis tribus bene placitum est spiritui Deo*, Ecc. XXV. (1).

<1.1.3> Tercium arduum, quod est aggressa, est arduum paupertatis, quia distribuit omnia sua, et remansit egena, Ps. (111, 9): *dispersit, dedit pauperibus* etc., et hoc nota ibi (Prov. 31, 20): *manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem*; et nota ibi triplicem apercionem, scilicet manus et palmarum. Ipsa enim dedit illud, quod erat superfluum; iuxta illud Luc. XII. (11, 41): *quod super est, date elemosynam*; ipsa enim dedit, quod {257ra} erat necessarium, tandem dedit totum, et nihil sibi retinuit.

<1.2> Secundo ostenditur fortitudo eius in tollerando adversa, ibi (Prov. 31, 25) *fortitudo et decor indumentum eius, et ridebit in die* etc. Nota, quod fortitudo est in tollerando adversa; decor in tollerando pacienter, quia paciencia decorat tolleranciam; sed risus in tollerando ylariter, Ro. V. (3): *non solum autem, sed gloriamur in tribulacionibus nostris*.

<1.3> Tercio ostenditur fortitudo eius in congregando bona, unde *multe filie congregaverunt divicias*, scilicet sanctarum meditacionum, sanctarum locucionum, sanctarum operacionum, sed *tu supergressa es universas* (Prov. 31, 29).

<2> Circa secundum nota, quod dotem assignat indeficientem, dicens *procul et de ultimis finibus* etc. Nam I. Cor. I. (2, 9): *oculus non vidit*, et hoc quia procul; *auris non audivit*, et hoc quia de finibus est; *in cor hominis non ascendit*, et hoc quia de ultimis finibus.

Rogemus.

De eodem

*Omnis gloria eius filie regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietate* (Ps. 44, 14).

Nota, quod beata Helisabeth in hiis verbis a quatuor commendatur.

<1> Primo a carnis nobilitate, quia *regis filia*; et hec non est parva commendacio, {257rb} quia ubi maior pugna, ibi maior victoria, et sic eciam maior corona.

<2> Secundo a mentis nobilitate, quia *ab intus omnis eius gloria*, et illa, inquam, de qua dicitur, I. (II) Cor. I. (12): *gloria nostra hec est testimonium consciencie nostre*, et sic regis celestis sponsa, II. Cor. X. (11, 2): *despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*.

<3> Tercio a caritatis perfeccione, quia *in fimbriis aureis*, sicut dicit glosa, in auro caritas; *in fimbriis*, que consumacio vestis est, intelligitur consumacio et perfeccio amoris, et sic fuit Dei hospita; qui enim *manet in caritate, in Deo manet* etc. (I. Io. 4, 16)

<4> Quarto ab operum multitudine et sanctitate, quia *varietate circumamicta*; in quantum enim *circumamicta*, intelligitur sanctitas operis, quia malum opus non vestit, sed potius exuit sive expoliat; in quantum dicit *varietate*, intelligitur multitudo operum; et sic fuit mundi lucerna, Mt. V. (16): *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*.

Rogemus etc.